



OFFICIA PROPRIA DIOECESIS RATISBONENSIS

PARS AUTUMNALIS

Die 22 Septembris

S. Emmerami

Episcopi et Martyris,
Patroni minus principalis
Diocesis

Duplex majus

Ant. Iste Sanctus pro lege
Dei sui certavit usque ad
mortem, et a verbis impió-
rum non tímuit: fundátus
enim erat supra firmam pe-
tram.

V. Glória et honóre coro-
násti eum, Dómine. **R.** Et
constituísti eum super ópe-
ra mánuum tuárum.

Oratio



nfirmitátem nos-
tram respice,
omnipotens De-
us: et quia pon-

nus própriæ actiónis gra-
vat, beáti Emmerámi Már-
tyris tui atque Pontificis in-
tercessió gloriósa nos pró-
tegat. Der Dóminum.

Deinde fit Commemoratio S.
Thomæ de Villanova Episcopi
et Confessoris (Duplex):

Ant. Dispérsit, dedit pau-
péribus: justítia ejus manet
in sæculum sæculi.

V. Amávit eum Dóminus,
et ornávit eum. **R.** Stolum
glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui beátum Tho-
mam Pontíficem insig-
nis in páuperes misericór-
diæ virtúte decorásti: quæ-
sumus; ut, ejus intercessió-
ne, in omnes, qui te depre-
cántur, divítias misericór-
diæ tuæ benignus effúndas.
Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv



mmerámus, in A-
quitánia honéstus
et christiánus pa-
réntibus natus, puer libe-
rálibus disciplínis erudítus,

amóre Christi, posthábítis, quæ apud mortáles magna sunt, ejus præceptis et mórnis se totum conformávit. Itaque pietáte, religióne, ánimí lúmíne præcélleus ad Pictaviensem évéhitur episcopátum, quem præclaris quoque instítútis et méritis insígniter illustrávit. Martýrii ínterim subeúndi desíderio divínitus incensus, percépto, Hunnos sive Aváros nondum probe præceptis cristiánis imbútos, ei optátis potiúdi occasio visá. Hinc dimisso episcopátu ad illos proficiscitur, si ánimos a veritate aliénos vel nutántes ad salutárem Christi religióne[m] posset revocáre. In ítinere passim per Germániam de pietáte verba faciébat, Vitális íntérpretis usus ópera. Ut Ratisbónam venit, Theodóni Baváriæ duci consiliun[um] áperit, constituísse Hunnos Christo lucrifácture, vel certe vitam in egrégio conátu pónere. Sed aliud causátur Théodo: clementer reluctántem rétinet; simul instat, ut recens a Rupérto præsule hic disseminátæ fidei plantas cæléstis doctrínæ rivis irrigáre velit. Recéntibus itaque in orthodoxa fide Bojis per triénnium magno cum fructu et ardóre spíritus chris-

tiána mystéria explanávit; utque perseverárent, sollicité inculcávit.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. **V.** Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. **Et.**

Lectio v

His ita gestis divíno spírítu afflátus, íter Romam religiónis nómine adórnat. Intérea Uta Theodónis filia, a Sigibáldo prímaríæ, nobilitátis júveniovioláta, noxæ rea próditur; quod stuprum fassa absénti Emmerámo ímputat. Id ubi Landbértus frater rescívit, soróris contuméliam accensus Emmerámum ínséquitur, et ut Helfendórfii (loco ínter Isaram et Únum) brevi assecútus, statim ecclésiæ précibus unicum cléricis vacántem réperit; mox productum acerbé irridens satellítibus ex-carnificándum tradit. Sávitum per ómnia membra, óculi éru[n]t, lingua, aures, nares, manus pedésque, et quæ honéste haud nominéntur, amputáta. Emmerámus ínterim summos ínter dolóres non vocem módo, sed et vultum et gémi-

tus compréssit, Deum láudibus et précibus continénter vénerans: multis vicissim signis divínitus éditis, Núminis in eum propensióne comprobáta.

R. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. **V.** Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápíte ejus corónam de lápide pretiósio. **Et.**

Lectio vi

Apparuérunt improvísó équites ignófi duo exímia spécie, qui de præcísis ártubus multum sciscitáti, repértos asportáru[n]t, nec póstea conspécti sunt. Jam cómites, sub ínítium metu dilápsi, redierant: lácerum ergo et semivivum corpus revérti Acháimur devéhere próperant. Novem pássuum mílibus prógressis, cum tria restárent, Emmerámus primum ejulásse audítus, de curru depósitus, lucis splendóre perfúsus, quæ moriéntis ore prógressa et recta in cælum lata, spectántium óculos more fúlminis perstrínxit. Cadáver deínde Ratisbónam annuente príncipe, máxima celebrítate delátum est. Is, ut insónatis pontíficis cædes áliquo

piáculo luerétur, ædem magnificam illic sancti Benedicti mónachis dicátam ædificat: tum Uta in Itáliam, Landbérto aliórum relegáti[s].

R. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. **V.** Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. **Et.** Glória Patri. **Et.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Si quis venit ad me, de Comuni unius Martyris loco.

Pro S. Thoma de Villanova:

Lectio ix

Thomas in óppido Fontispláni Toletánæ diocéseos in Hispánia natus, a bonis paréntibus ineúnte vita pietátem et singulárem in páuperes misericórdiam accépit, cujus toto vitæ suæ decúrsu præclára dedit exemplá. Puer enim, ut nudos operíret, própriis véstibus non semel seípsum éxuit: aduléscens, post patris óbitum univérsam hereditátem egénis virgínibus aléndis dicávit. Cum theológicæ cursu confécto, divínino ínstinctu, Eremitárum sancti Augustíni ínstítutum ampléxus esset, virtútibus ómnibus ornátus, caritáte

præsertim erga p  peres et peccatores excelluit, quos e viti  rum c  no educere satigit. Pr  cipue vero ejus misericordia eluxit, cum ad regendam Valentianam eccl  siam ex obedi  tia vocatus, vigilantissimi pastoris vices expleret et amplius eccl  siae r  ditus in eg  nos dispersit, ne lectulo quidem sibi relicto. Obdormivit in D  mino sexto Idus Septembris, annos natus octo supra sexaginta.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes Commemoratio S. Thomae Ep. et Conf. ac Ss. Mauricii et Soc. Martyrum, ut in Breviario.

In II Vesperis Commemoratio sequentis (S. Lini Papae et Mart.), S. Thomae Ep. et Conf. ac S. Theclae Virg. et Mart., ut in Breviario.

Die 3 Octobris

B. Uttonis Abbatis

Duplex

Ant. Similabo eum viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram.
V. Amavit eum D  minus, et ornavit eum. **R.** Stulam gl  riae induit eum.

Oratio

Deus, qui famulum tuum beatum Uttonem Abbatem et sanctificasti vocatione misericordiae et assumpsisti consummatione

felici: praesta, quaesumus; ut, qui tecum est meritis, a nobis non recedat precibus et exemplis. Per D  minum nostrum.

In II Nocturno

Lectio iv

Utto ex honestis et christianis parentibus ortus, quam singulari Dei tutela custodiretur, inde a pueritia apparuit. Fuit enim illis temporibus, in vico Michaelsbuch in Bavaria inferiore, vir pietate et nobilitate insignis, n  mine Gamelbertus. Hic in illa regione amplum possidebat praedium simulque in eccl  sia, ibidem constructa in honorem sancti Michaelis Archangeli, divino ministerio summa prudentia et ardenti zelo fungebatur. Cum olim, magna erga sanctos Apostolos devotione impulsus, Romam peregrinaretur, ex itinere ad virum quandam honestum devotens, ejus rogatu, infansem modo natum, quem magnum in D  mino futurum esse divinitus prospexit, e sacro baptismi fonte levavit, eique nomen Uttonis imposuit. Inde voti compos reversus, multos annos amplius in Dei servitio et animarum cura impendit.

R. Honestum fecit illum D  minus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam. **V.** Justum deduxit D  minus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. **Et.**

Lectio v

Utto vero, cum interim adultus, amori Christi nihil praeponeret et salutem animarum vehementer sisti ret, relictis parentibus, ad patrum advolavit, ex ejusque moribundi manibus eccl  siam et praedium accepit. Nec indignum patrino post ejus obitum se praebuit. Sacerdotali enim ordine et dignitate decoratus, fidelis erat mysteriorum Dei dispensator ac pastor animarum vigilantissimus. Exemplis Gamelberti suaviter adductus, vitam absconditam cum Christo anhelabat, ejusdemque consilium ac votum executurus, quibusdam religiosis viris sibi adjunctis, trans Danubium in nemoris solitudinem se recepit ibique cellam et oratorium in honorem sancti Michaelis Archangeli aedificavit. Regulam sancti Patris Benedicti professus, contemplationi ac labori dies suos consecrabat.

R. Amavit eum D  minus et ornavit eum: stolam gloriae induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum D  minus loriceam fidei, et ornavit eum. **Et.**

Lectio vi

Dei quondam mira providentia factum est, ut Carolus Magnus rex, strenuus ille eccl  siae vindex ac propugnator, cum Bavariam regno suo subactam instituit ac legibus temperaret, cum Uttone abbatate conveniret; atque verbis ejus et factis tam singulari admiratione et devotione affectus est, ut praecanti et congregationem suam gratiae regiae commendanti, benigne gratificaretur. Quare Mettenense monasterium in regiam tuitionem suscepit, et silvae magnae donationem adjecit. Multis autem laboribus in honorem Dei exantlatis, Utto abbas annis et meritis plenus in osculo D  mini obiit et honorifice sepultus est in eccl  siae choro, ac nomen ipsius sanctitatis fama et miraculis clarescere coepit. Tandem cultum ab immemorabili tempore huic viro Dei praestitum, Pius Papa decimus, multorum precibus benigne annuens, confirmavit.

R. Iste homo perfecit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. **Quia. Glória Patri. Quia.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Ecce, nos reliquimus, de Communi Abbatum I loco.

Vesperæ de sequenti (S. Francisco Conf.), Com. præcedentis: **Ant. Hic vir despiciens mundum et terréna, triumpans, divítias cælo cóndidit ore, manu.**

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui fámulum tuum beátum Uttónem Abbátem et sanctificásti vocatióne misericórdi et assumpsisti consummatione felici: præsta, quæsumus; ut, qui tecum est méritis, a nobis non recédât précibus et exémpis. Per Dóminum.

Die 9 Octobris

Ss. Dionysii Episcopi, Patr. min. princ. Diócesis, et Sociorum Rustici et Eleutherii Mm.

Duplex majus

Omnia ut in Breviario hac die præter ritum.

In I Vesperis fit Commemoratio præcedentis (S. Birgittæ Viduæ), ut in Breviario.

In II Vesperis fit Commemoratio sequentis (S. Francisci Borgiæ Conf.), pariter ut in Breviario.

Die 11 Octobris

In Translatione

S. Wolfgangi

Episcopi et Confessoris

(d. ass. e 7 hujus)

Duplex (m. t. v.)

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stulam glóriæ induit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

Sancti Pontificis tui, Dómine, et Patris nostri Wolfgangi sollemnitatem nobis celebrántibus tribue: ut, sicut translationem ejus devotissime cólimus; ita et actus ejus fidéliter imitémur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio præcedentis (S. Francisci Borgiæ):

Ant. Hic vir despiciens mundum et terréna, triumpans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Dómine Jesu Christe, verae humilitátis et exémpular, et præmium: quæsumus; ut, sicut beátum Franciscum in terréni honoris contemptu imitátorem tui glóriósum effectisti, ita nos ejúsdem imitátionis et glóriæ tribuas esse consórtes: Qui vivis et regnas.

In II Nocturno

Lectio iv

Quando sancto Wolfgango Pupingæ in Austria anno nonagesimo quarto

pridie Kalendas Novembris mórtuo, superveniens, ut moritúrus prædixerat, Hartvícus Salisburgénsis archiepiscopus, ejussacrum cadáver curávit, ac primum ibi in oratório sancti Othomári illius intestina decénter cóndidit, réliquum vero corpus spátio septem diérum advérso Danúbio Ratibónam advéxit, ab omníclero populóque, ac præsertim a paupéribus et víduis, commúnem miserórum patrem deplorántibus, honoríficesuscéptum: quod postquam in Cathedrálisanti Petri ecclésia sollémnibus exsequiárum officiis honorátum, et per ómnia, quæ reformávit, cœnóbia

reverénter circumlátum est, tandem in célestri sancti Emmerámi ecclésia tumulátum fuit.

R. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Manus.**

Lectio v

Exactis a morte quinquaginta octo annis et percrebescéntibus per omnem vicíniam miraculis, cum sanctus Leo nonus per instántiam sereníssimi imperatóris Henrici ad partes Germániæ visitándas, ac præcipue ad urbem Ratibónam ad venerábile corpus beáti Wolfgangi ejúsdem urbis episcopi transferéndum evocátus esset, atque cum imperátore et magna episcopórum ac príncipum multítudine Ratibónam perveniret, ómnibus diligénter examinátis et inspéctis, beátum Confessorrem e sepúlcro levávit, et consuéta Sanctorum veneratióne coléndum edixit: tum sacrum ejus corpus novo túmulo impósitum, in occidentáli ejúsdem ecclésiæ crypta, post eam, quam ipse dedicávit, aram, septima Octóbris venerabúndus repósuit, et muro inclúsit.

R. Pósui adiutorium super potentem, et exaltávi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

Lectio vi

Cum autem in memoráta crypta ara nova, quæ média erat, construeretur, tumba antiqua reperta fuit: hanc rite clausam Wolfgangus secúndus Ratisbonensis episcopus præsentibus plúribus præláti aliisque téstibus anno millésimo sexcentésimo duodécimo aperuit, et in ea, una cum antiqua lámina plúmbea sancti Wolfgangi nomen referente, et magno Leonis numismate, et deauráta cruce sacras exúvias invenit, eásque annuente et sacras étiam penárum condonatiónes largiente Paulo quinto summo Pontífice anno sequenti in Cathedralém basilicam (ubi et pars sacri cápitis reserváta fuit) et post octiduána sollémnia, præsenté imménsa pópuli multitudine celebráta, duodécima Maji in priórem cryptam tránstulit, et post aram médiám muro insérui.

R. Iste est, qui ante Deductum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doc-

trína ejus repléta est: * Ipse intercedat pro peccátis ómnium populórum. **V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. **Ipsó.** Glória Patri. **Ipsé.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Sint Iumbi, de Communi Confessoris non Pontificis, cum Responsoris de Communi Confessoris Pontificis ibidem notatis.

Sabbato ante Dominicam
III Octobris

In Ecclesiis consecratis
Dioecesis,
excepta Cathedrali:

In Dedicatione
propriæ Ecclesiæ

Duplex I cl. cum Oct. communi
Omnia ut in Communi Dedicationis Ecclesiæ.
In II Vesperis fit Commemoratio Dominicæ concurrentis.

Sabbato ante Dominicam
IV Octobris

In Ecclesiis, ut supra:
In Octava Dedicationis
propriæ Ecclesiæ

Duplex majus

Die 31 Octobris

S. Wolfgangi

Episcopi et Confessoris,
Patroni principalis Civitatis et Dioecesis

Duplex I cl. cum Oct. communi
Omnia de Communi Conf. Pont., præter sequentia.

Oratio

Deus, qui nobis æternæ salutis beátum Wolfgangum Episcopum ministrum tribuisti: præsta, quæsumus; ut, quem doctórem vitæ habuimus in terris, intercessórem habere mereámur in cælis. Per Dóminum.

In I Nocturno Lectiones Fidei sermo, de Com. Conf. Pont. I loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Wolfgangus, nobili in Suévia genere prognátus, rerum exterarum fuit et sui contéptor egrégus, solum ex ánimo Deum quærens. Hónores amplísimos ab Henrico Trevirénsium episcopo sibi oblátos recusávit, illóque demórtuo, pollicitatió-nibus aliórum contéptis, monásticam tandem vitam (cujus semper desidério flagráverat) est ampléxus, sacris ordinibus a beáto Udalrico initiátus. Cum in Panóniam prædicánda Evangelii causa se prius contulisset, propter conjunctam in eo exímia cum pietáte prudéntiam. Ottónis imperatoris stúdio totiusque clerici et pópuli acclamatióne, ecclesiæ Ratisbonénsi rite præfícitur.

R. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.

xi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil profíciet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Manus.**

Lectio v

Suscépto episcopátus munere gregem Dómini verbo pavit et exémplo, sanctissimisque ecclésiám temperávit institútis. Monastério sancti Emmerámi, quod jam diu episcopi administráverant, restitútis provénitibus, magno illius bono insígnem virum Romuáldum præpósuit. Sanctimoniárium coenóbium, quod ipse fundáverat, tam sancte instituit, ut, colápsa in áliis disciplína, eo exémplo sit fáci-le restauráta, novóque pietátis odóre capta Brigida Bavariæ ducis filia, sponsum Christum secúta, ad sacras se vírgines aggregárit.

R. Pósui adiutorium super potentem, et exaltávi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

Lectio vi

Bohémis, quo amplióra apud illos fides incrementa cáperet, contémpto suæ ecclésiæ detríméto, rejectis aliórum consiliis,

próprium dari episcopum libentissime permisit. Egrégiam viri sanctitatem comprobárent energúmeni et variis languóribus opprésisi, quos precatione sanávit. Divino afflatus instinctu sanctum Henricum imperatorem regnatúrum, fratrem ipsius Brunonem ad episcopátum promotum iri; e soróribus álteram reginam, abbatissam álteram fore prædixit. Dénique cum viginti et ámplius annis in sæduli pastóris múnere peractis extrémum sibi diem imminere intellexeret, quæ ex usitata liberalitate supererant, per manus pauperum in cæli gazophylácium præmisit.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operátus est, et omnis terra doctrina ejus repléta est: * Ipse intercedat pro peccatis ómnium populórum. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. **Ipse.** Glória Patri. **Ipse.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Vigilæ quia nescitis, de eodem Communi 2 loco.

De Vigilia Omnium Sanctorum nihil fit.

Vesperæ de sequenti Festo Omnium Sanctorum cum Commemoratione S. Wolfgangi Ep. et Conf.:

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum: et ad portas paradísi coronávit eum. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui nobis æterna salutis beátum Wolfgangum Episcopum ministrum tribuisti: præsta, quæsumus; ut, quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessórem habere mereamur in cælis. Per Dóminum.

Die 3 Novembris

De III die infra Octavam Omnium Sanctorum

Semiduplex

Pro Commemoratione Octavæ S. Wolfgangi:

Ad Vesperas: **Ant.** Sacédos et Póntifex, et virtutum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stulam glóriæ índuit eum.

Oratio Deus, qui, ut supra,

Ad Laudes: **Ant.** Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fusti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Die 4 Novembris

S. Caroli Borromæi Episcopi et Confessoris

Duplex

Pro Commemoratione Octavæ S. Wolfgangi:

In I Vesperis: **Ant.** Amávit, **V.** Justum et **Oratio** Deus, qui, ut supra 10*.

Ad Laudes: **Ant.** Sacédos, **V.** Amávit et **Oratio** Deus, qui, ut supra 10*.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis, atque Octavarum Omnium Sanctorum et S. Wolfgangi.

Die 5 Novembris

Sacrarum Reliquiarum quæ in Ecclesiis Dioecesis asservantur

Duplex majus

Capitula, Hymni et reliqua, quæ de Psalterio Feriæ non sunt sumenda, dicuntur de Communi plurimorum Martyrum, præter sequentia.

Oratio

Auge in nobis, Dómine, resurrectionis fidem, qui in Sanctorum tuórum Reliquiis mirabilia operáris: et fac nos immortalis glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pignora venerámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis (S. Caroli):

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et

ad portas paradísi coronávit eum.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Ecclésiám tuam, Dómine, sancti Cároli Confessoris tui atque Pontificis confínua protectióne custódi: ut, sicut illum pastorális sollicitúdo glóriósum reddidit; ita nos ejus intercessió in tuo semper faciát amóre fervéntes.

Deinde Commemoratio Octavæ Omnium Sanctorum:

Ant. O quam glóriósum est regnum in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amícti stolis albis sequúntur Agnum quocúmque ferit!

V. Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætábúntur in cubilibus suis.

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctorum tuórum mérita sub una tribuisti celebritáte venerári: quæsumus; ut considerátam nobis tuæ propitiatiónis abundantiam, multiplicátis intercessóribus largiáris.

Postea Commemoratio Octavæ S. Wolfgangi:

Ant. Sacédos, **V.** Amávit et **Oratio** Deus, qui, ut supra 10*.

In I Nocturno Lectiones de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore.

In II Nocturno

Ex Tractatu sancti Joannis Damasceni de fide orthodoxa

Lectio iv

Liber 4, cap. 15



Christus Dominus Sanctorum reliquias velut salutare fontes præbuit, ex quibus plurima ad nos beneficia manant, suavissimūque unguentum profluit. Nec vero quisquam his fidem detrahat. Nam si aqua in deserto ex dura et aspera rupe, atque ex asini manilla, ad sedandam Samsóni sitim, Deo ita volente, prosiliit, cur incredibile videatur ex Mátyrum reliquiis unguentum suave scaturire? Mínime certe iis, quibus Dei potentia et honor, quo Sanctos suos afficit, perspécta sunt et explorata.

R. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis válidis: * Terra apparuit árída: et in Mari Rubro via sine impedimento. **V.** Quóniam percussit petram, et fluxerunt atque, et torrentes inundaverunt. Terra.

Lectio v

In lege quidem, quisquis mórtuum tetigerat, im-múndus censebatur. Hi vero in mortuorum número mínime sunt habéendi. Ex quo enim ille qui ipsa Vita est, et vitæ Auctor, inter mórtuos deputatus est: eos qui cum spe resurrectionis fidéque in ipsum obdormierunt, nequáquam mórtuos appellamus. Qui enim mórtuum corpus miracula edere queat? Quanam igitur ratione, horum ópera démones expelluntur, morbi profligantur, ægróti sanantur, cæci visum recipiunt, leprosi mundantur, tentationes discutiuntur ac mæiores, omne denique datum optimum, iis qui fide non dubia postulant, per eos descendit a Patre lumen? Quid laboris non suscipias, ut patrónum nanciscaris, qui te mortáli regi offerat, et pro te ad eum verba faciat? An non igitur ii honorandi, qui totius generis humáni patróni sunt, Deoque pro nobis supplices preces adhibent?

R. Véra carnificum non timuerunt Sancti Dei, morientes pro Christi nómine: * Ut heredes fierent in domino Dómini. **V.** Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut.

Lectio vi

Honorandi certe: et quidem ita, ut in eorum nómine templa Deo exstruamus, dona offeramus, memórias eorum colamus, atque in iis spiritaliter oblectémur: eo útique lætífia, quæ illis arrídeat a quibus invitámur, ne, dum demereri illos studémus, offendámus pósius et irritémus. Quibus enim rebus Deus colitur, isdem servi quodque ipsius oblectántur: quibus autem Deus offénditur, isdem étiam mílites offénduntur. Quocirca in psalmis et hymnis et cánticis spiritalibus, in compunctione quoque, et egenorum miseratione, quibus et Deus potíssimum colitur, nos qui fideles sumus, cólere Sanctos opórtet. Státuas eis, et imágenes quæ videántur, erigamus: immo virtutes eorum imitando hoc consequámur, ut vivæ ipsorum státuæ imaginésque evadámus.

R. Tamquam aurum in fornace probávit eléctos Dóminus, et quasi holocausti hóstiam accepit illos: et in tempore erit respectus illórum: * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. **V.** Qui confidunt in illum, intélligent veritatem: et fi-

dèles in dilectione acquiescent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Descendens Jesus, de Comuni plurimorum Martyrum 2 loco.

Ad Laudes fit Commemoratio Octavæ Omnium Sanctorum:

Ant. Te gloriósus Apostolorum chorus, te Prophetarum laudábilis número, te Mátyrum candidátus laudat exércitus, te omnes Sancti et elécti voce confiténtur unánimes, beáta Trínitas, unus Deus.

V. Lætámini in Dómino et exultáte, justí. **R.** Et gloriámmini, omnes recti corde.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctorum tuórum mérita sub una tribuisti celebrítate venerári: quæsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundantiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris.

Deinde Commemoratio Octavæ S. Wolfgangi:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in paucis fuisti fidélis, supra multa te constituam, dicit Dóminus.

V. Justum deduxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui nobis æternæ salutis beatum Wolfgangum Episcopum ministrum tribuisti: præsta, quærem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis. Per Dóminum nostrum.

In II Vesperis Commemoratio sequentis diei infra Octavam Omnium Sanctorum:

Ant. Angeli, Archàngeli, Throni et Dominationes, Principatus et Potestates, Virtutes cælorum, Chérubim atque Séraphim, Patriarchæ et Prophætæ, sancti legis Doctores, Apóstoli, omnes Christi Mártires, sancti Confessores, Vírgines Dómini, Anachoritæ, Sanctique omnes, intercedite pro nobis.

V. Lætámini in Dómino et exultáte, justi. **R.** Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctorum tuórum mérita sub una tribuisti celebrítate venerári: quæsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundantiam, multiplicátis intercessóribus largiáris.

Deinde Commemoratio Octavæ S. Wolfgangi:

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Illi osténdit illi regnum Dei.

Oratio Deus, qui nobis, ut supra.

Die 6 Novembris

De VI die infra Octavam Omnium Sanctorum

Semiduplex

Ad Laudes fit Commemoratio Octavæ S. Wolfgangi, ut supra. Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis diei infra Octavam Omnium Sanctorum.

Die 7 Novembris

In Octava S. Wolfgangi Episcopi et Confessoris

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti Hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Festo, præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III Nocturno, ut infra.

Oratio Deus, qui nobis, ut supra.

Et fit Commemoratio præcedentis diei infra Octavam Omnium Sanctorum:

Ant. O quam gloriósum est regnum, in quo cum

Christo gaudent omnes Sancti, amici stolis albis sequuntur Agnum quocúmque íerit!

V. Exultábunt Sancti in glória. **R.** Lætábuntur in cubilibus suis.

Oratio Omnipotens, ut supra 14*.

In II Nocturno

Ex Breviario antiquo Ratisbon.

Lectio iv

DEgitur post hæc et alia pietátis ópera, quibus Deo servire studébat, quibusque ecclesiám sibi commissam regébat sanctus præsul Wolfgangus, cum Ratisbonæ constitútus rerum necessitaté in orientálem Bavariæ regionem iter suum destináret, febricitáre cœpit. Cumque per Danúbii decúrsus ventum esset ad locum, qui dicitur Pupínga non procul Línzio distans, ultra téndere non valébat, quia tempus resolutionis instábat. Ibi ergo supérna se visitánte grátia cognóscens, cito fore complénda, quæ sibi per visiónem olim fuerant reveláta, iussit, ut in oratórium beáti Othmári (quod ibi situm erat) portáretur, et ante altáre ejus deponerétur. Quod cum factum esset, aliquántulum ex infirmitáte convaléscens

Lectio v

Deinde omnes, qui aderant, pro fide, spe et caritaté satis luculénter admonens, eos ac universos sibi commissos cum intimis suspiriis Deo Sanctis que ejus commendávit; sicque viático sumpto humo tenus se prostrávit, Deum sui et ómnium mortem suam aspiciéntium miseréram deprecans óculos clausit, ac velut in somno pausans in pace quíevit. Sic ánimam sacris cælorum reddidit astris prídiæ Kalendas Novémbris anno Christi nongentésimo nonagesimo quarto. Sacrum ejus corpus Ratisbonæ in templo sancti Emmerámi seponus sollénni ritu levávit, et Sanctorum catálogo, multo póculo præsénte, adscripsit. Quas sanctissimi episcopi reliquias Wolfgangus secúndus episcopus in cryptam ac novum a se fabricátum sacéllum anno

millésimo sexcentésimo décimo tertio, Pauli quinti Summi Pontificis permisso, quinta Maji máxima devotione ac sollempnitate transiit in pristinum locum, unde levatae erant.

R. Pósui adiutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo sancti Máximi Episcopi

Homilia 59, quæ est 2 de S. Eusebio.

Lectio vi

Beati Patris Wolfgangi mérita jam in tuto posita securi magnificemus, qui gubernaculum fidei viriliter tenens, anchoram spei tranquilla jam in statione composuit, et plenam cælestibus divitiis et æternis mércibus navem optato itinere collocavit: qui contra omnes adversarios scutum timoris Dei tam diu infatigabiliter tenuit, donec ad victoriam perveniret. Quid enim fuit totus vitæ illius cursus, nisi unus cum vigili hoste conflictus?

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repléta est: *

Ipsæ intercédant pro peccatis ómnium populórum. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cælestia regna. **Ipsc.** Glória Patri. **Ipsæ.**

In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum

Lectio vii Cap. 24, 42-47

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vigilate, quia nescitis, qua hora Dóminus vester venturus sit. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrósii Episcopi

De fide lib. 5 cap. 17



Duárimus, qua ratione Dóminus designare momenta noluerit: si quærámus, non ignorantia inveniémus esse, sed sapientia. Nobis enim scire non próderat, dum certa futuri judicii momenta nescimus, semper tamquam in excubiis constituti, et in quadam virtutis specula collocati, peccandi consuetudinem declinémus, ne nos inter vitia dies Dómini deprehendat.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. **Et.**

Lectio viii

Non enim prodest scire, sed metúere, quod futurum est. Scriptum est enim: Noli alta sápere, sed time. Nam si diem designasset expresse, uni ætati hóminum, quæ próxima erat iudicio, viderétur disciplinam præscripsisse vivendi superióris téporis: aut justus esset remissior, aut peccátor securior. Namque adúlter nisi cotidiánam peccatam métuat, non potest adulterandi cupiditatem desinere.

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dómimum suum, quando revertátur a nuptiis. **V.** Vigiláte ergo, quia nescitis qua hora Dóminus vester venturus sit. **Et.** Glória Patri. **Et.**

Lectio ix

Plerúmque enim, quibus incéntivum est impunitas, timor tædium est. Ideo ergo dixi, quod scire non próderat, immo próderat ignorare, ut ignorantes timerémus, ut observantes emendarémur, sicut ipse dixit: Estóte parati, quia nescitis, qua hora filius hóminis venturus est. Namque miles, nisi bellum in mánibus esse cognóscat,

præténdere non novit in castris.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes fit Commemoratio Octavæ Omnium Sanctorum:

Ant. Te gloriósus Apostolórum chorus, te Prophetárum laudábilis número, te Mátyrum candidátus laudat exércitus, te omnes Sancti et electi voce confitentur unánimes, beata Trínitas, unus Deus.

V. Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætábúntur in cubilibus suis.

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctorum tuórum mérita sub una tribuisti celebritate venerári: quæsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundantiam, multiplicátis intercessóribus largiáris. Per Dóminum nostrum.

Vesperæ de sequenti die Octava Omnium Sanctorum, Commemoratio præcedentis, et Ss. Quatuor Coronatorum Mm.

Pro Commemoratione præcedentis:

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam gloriæ induit eum: et ad portas paradísi coronávit eum.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui nobis æternæ salutis beatum Wolfgangum Episcopum ministrum tribuisti: præsta, quæsumus; ut, quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis.

Deinde pro Commemoratione Ss. Martyrum:

Ant. Istorum est enim regnum cælorum, qui contempterunt vitam mundi, et pervenērunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

¶ Exsultabunt Sancti in glória. **R.** Lætabuntur in cubilibus suis.

Oratio

Præsta, quæsumus omnipotens Deus: ut, qui gloriosos Martyres fortes in sua confessione cognovimus; pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Dóminum nostrum.

Die 15 Novembris

**Beati Alberti Magni
Episcopi Ratisbonensis,
Confessoris**

Duplex

Oratio

Deus, qui nobis æternæ salutis beatum Albertum Episcopum ministrum tribuisti: præsta, quæsumus; ut, quem doctorem vitæ habuimus in terris,

intercessorem habere mereamur in cælis. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio præcedentis (S. Josaphat Episcopi et Martyris) ac S. Gertrudis Virginis, ut in Breviario.

In II Nocturno

Lectio iv

Albertus, Lauingæ célebris Suéviæ oppido de nobilibus et militaris ordinis parentibus natus, a prima pueritia viam Dómini ingressus, adulescens Pádum, nobilem Lombardiæ civitatem, ubi firmióra virtutum et artium póneret fundamenta, mittitur. Cum vero basilicam

ibidem ingressus, deque statu vitæ meliõris meditatus, ardentiùs die quadam se beatæ Mariæ Virgini commendasset, appáret benigníssima grátiae totius mater, suadetque cliénti, ut ordinem Prædicatórum in Ecclésia nóviter erectum et mire viréntem ingrederetur; fore enim, ut cælestis sapiéntiæ thesauris dotatus christiánium illumináret orbem univérsum. Audit mórita Virginis beatissimæ Albertus, habitumque sacrum a patre Felice Jordáno, Prædicatórum tum témporis suprémò magistro insigni, cum alacritate suscepit.

R. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **¶** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Manus.**

Lectio v

Accépto igitur sacro hábitu pietáti, devotiõni, sacrarúmque stúdio literárum sese devóvit totum. Unde factum, ut ex vera sapiéntia, pleníssimo videlicet scientiárum ómnium fonte, tantam háuserit doctrinam, ut cum ingénti admiratione præter nobilissimas Germániæ cáthedras académicas, Coloniensem, Hildesheimensem, Argentinensem, Friburgensem et Ratisbonensem suæ doctrinæ et facúndiæ rádiis coruscántibus illumináverit. Caritátis insuper zelo accensus beátus pater non tantum in Germániæ, sed in plerisque fere cathólicæ Ecclésiae finibus subtilissimis interpretatiõibus Scripturárum, sanctitátis fama et doctrinæ admirábilis, et vitæ immaculatæ exémplo imitádo, hæresúmque oppugnatione et exstinctiõne ánimas Redemptóri lucrátus est plúrimas. Unde viri sanctitate permótus Alexander quartus Póntifex Má-

ximus applaudente sacro cardinálium collégio, etiam invítum et reniténtem máxima cum cleri et pópuli tótius gratulatiõne Albértum Ratisbonénsi ecclésiæ præfécit episcopum.

R. Pósvi adiutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **¶** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

Lectio vi

Consecrátus episcopus, inque throno résidens episcopáli, humilitátis, paupertátis et religiosárum disciplinárum nunquam non recordabátur. Castrum episcopále, dictum Thumstauf, único distans milliári a civitate, pro devotiõnis asylo sibi habébat: ubi et insigne illum super Lucam édedit commentárium. Verum cum triénio magna cum laude episcopátui præfúisset, ad suos régreði festinat. Anno igitur millésimo ducentésimo sexagésimo secúndo, annuente Pontífice Urbáno quarto, Leóni viro integerrimo munus episcopále sponte cedit: mirificèque recreátus Colóniam ad antiqúam cáthedram rémigrat. Quantum vero viri beáti sanctitas claréscat et

doctrina, vel inde patet, quod et sanctum Thomam Doctorem angélicum habuerit discipulum, et illius felicissimum óbitum absens Colóniæ cum aliis fratribus in mensa résidens cognoverit. Rudólpho Habsbúrgico Romanórum regi nóviter electo, ratiónum et sermónis gravitaté, a sancta Sede confirmatiónem impetrávit. Discórdias inter Guiliélmum Juliacensem comitem et Coloniensem civitatem facúndiæ suæ dextertate sopívit, pacem et tranquillitatem restituit. Tandem annum agens octogésimum, plenus diérum, veræ et æternæ pátriæ re-promissionem suspirans, migrávit ad Dóminum décimo séptimo Kaléndas Decémbri, anno millésimo ducentésimo octogésimo, Rudólphi imperatoris anno séptimo. Corpus beáti patris in choro ecclésiæ sanctæ crucis a se fundatæ, præsenté Sigefrídó Agrippinæ archiepiscopo, frequénti clericórum et religiosórum cœtu, in arca repositum sáxea ecclesiásticæ tráditur sepultúræ. Cujus festivitatem Gregórius Papa décimus quintus, ad instántiam Albérti quarti Ratisbonensis episcopi, celebrándam vivæ vocis oráculo concessit.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercedat pro peccátiis ómnium populórum. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. **Ipse. Gló-**ria Patri. **Ipse.**

In III Nocturno **Homilia in Evangelium Homo pégre profisciscens, de Communi Conf. Pont. 1 loco.**

Pro S. Gertrude Virgine:

Lectio ix

Gertrúdis Islébii in Saxónia nata, quinquennis in monastério Elpidiensi, ordinissancti Benedicti, virginitatem suam ac seipsam Jesu Christo obtulit. Sanctam Mechtildem magistram hábuit, qua duce ad altíssima contemplatiónis dona pervénit. Erga divinisimum Eucharistiæ sacraméntum et passiónem Dómini tanta caritaté aestuábat, ut ea recógitans ubéribus lácrimis perfunderetur. Multa ad confóvendam pietatem scripsit. Divinárum etiám revelatiónum et prophetiæ dono cláruit. Dénique flagrantissimo Dei amore potius quam morbo languéscens, vita decéssit, miraculis vivens et post mortem illústris.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes fit Commemoratio S. Gertrudis:

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiátóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósá, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

V. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Deus, qui in corde beátæ Gertrúdis Virgínis júcúndam tibi mansiónem præparásti: ipsius méritis et intercessiõe; cordis nostri máculas cleménter abs-térge, et ejúsdem tribue gaudére consórtio. Per Dóminum nostrum.

In **Vesperis Commemoratio S. Gertrudis:**

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

V. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio Deus, qui in corde, ut supra.

Die 17 Novembris

S. Florini

Presbyteri et Confessoris

Duplex

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, qui beátum Florinum Confessórem tuum

æternæ beatitúdinis glória sublimásti: concede propiétius; ut, cujus mérita venerámur in terris, intercessiõnis ejus auxilio muniamur in cælis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Gregorii Thaumaturgi (Semiduplex):

Ant. Sacerdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Da, quæsumus, omnipotens Deus: ut beáti Gregórii Confessoris tui atque Pontificis veneránda sollémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salutem. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Florinus, Amatiæ in Valle Venústa comitatús Tirolensis natus, a paréntibus suis jam adolescentiam ingressus cuidam presbýtero ad divum Petrum Heremúsciæ erudiendus tráditur, qui perspéctis Florini virtútibus eúndem sibi ecónomum constituit; quo in officio nihil is de spirítus fervóre remittens talem fecit in virtútum stúdio progrés-

sum, ut eum Deus étiam miráculo approbáret. Accidit enim aliquándo, ut vinum ex castro Canítias nuncupáto, dómíno suo pro more ferens féminam óbviám habéret paupérculam, stipem pro viro suo ægro rogántem; cuius miserátus vinum ei largítur, quod ferébat, et loco vini aquam repónens, eam mox in vino a se convérsam suo dómíno bibéndam appórtat.

R. Honéstum fecit illum Dómínus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. **V.** Justum dedúxit Dómínus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

Présbyter dein factus dómíno suo ad divum Petrum Heremúsicæ cum successisset, ea cura ac stúdio suam íllam administrávit provínciam, ut et summum Dei favórem conciliáverit, et pópulo sibi concrédito virtútum ómnium exémplo ac sanctitátis laude præluxerit. Post mortem, quam sibi divínitus revelátam prænuñtiáverat, accurréntes eius propínqui sacrum pignus ab Heremúsicis amíce petunt, vim étiam in-

ferre paráti, ubi verba nihil profecísset: quorum conátus astu pio eludéntes Heremúsci parátam arcam sarcophago Sancti persímilem, quibúsdam illius véstibus opplétam concédunt, sicque propínquos, reténto corpore, lætos in pace dimíttunt. Tandem témporis progressu cum prope jam memoria Sancti periisset, cuidam presbýtero in paróchia successóri appáruit docens, velle suum corpus transférrí, et in eeclesia post divi Petri altáre collocári. Edúcto igitur a loco sepultúræ Beáti corpore capílli et barba ejus crevísse sunt deprehénsi.

R. Amávit eum Dómínus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. **V.** Índuit eum Dómínus lorícam fidei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi

Quánti vero apud Deum mériti noster hic Sanctus fúerit, palam faciunt mirácula plúrima ejus patrocínio patrátá, quæ in languóribus tam animórum, quam corpórum, morbisque curándis enítuerunt. Inter álía vinum, quo corpus ejus tunc adhuc íntegrum fuit ablútum, váriis ægris salúti

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Gregórii Confessoris tui atque Pontíficis veneránda sollémnitas, et devotíonem nobis áugeat et salútem. Per Dómínum.

Vesperæ de sequ., Com. præc. et S. Gregorii Thaumaturgi.

Pro Commemoratione S. Florini:

Ant. Hic vir despiciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo condidit ore, manu.

V. Justum dedúxit Dómínus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Florinum Confessorem tuum ætérnæ beatítudinis glória sublimásti: concede propítius; ut, cujus mérita venerámur in terris, intercessiónis ejus auxílio muniámur in cælis.

Pro Commemoratione S. Gregorii:

Ant. Amávit eum Dómínus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

V. Elégit eum Dómínus sacerdotem sibi. **R.** Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Oratio Da, quæsumus, ut supra.

fuit. Baro de Vázio, vir liberióris álias vítæ, cum ali-cujus energúmenæ liberatíoni méritis Sancti factæ spectátor interésset, ánimo deínde mutátus anteactam vitam pæniténtiæ virtúte emendávit, et Curwaldénse monastérium exstrúxit. Cœpit inde Sanctus frequénti hóminum ad ejus sepúlcrum peregrinántium concúrsu celebrári, donisque votívus honorári.

R. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Sint Iumbi vestri præcíncti, de Communi Conf. non Pont. 1 loco.

IX Lectio de S. Gregorio Thaumaturgo Ep. et Conf., pro qua sumuntur Lectiones IV et V in unam junctæ, ut in Breviario. Ad Laudes pro Commemoratione S. Gregorii:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constitutam, dicit Dómínus.

V. Amávit eum Dómínus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ índuit eum.

Die 29 Novembris

B. Friderici a Ratisbona Confessoris

Duplex

Oratio

Deus, qui beato Friderico, Confessori tuo, perfectioris vitae semitam demonstrare dignatus es: concede propitius: ut ejus exemplo terrēna despicientes sola cælestia appetamus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Saturnini Martyris:

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram.

Ÿ. Glória et honore coronasti eum, Dómine. **R.** Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Oratio

Deus, qui nos beati Saturnini, Martyris tui, concedis natalicio perfrui: ejus nos tribue méritis adjuvâri. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Fridericus, Ratisbonæ in Bavaria ortus et sacro baptismatis fonte ablatus, paterna in æde pueritiam egit ingenii animi candore ac

simplicitate præstantem. Uní Deo servire intētus, terrarum blanditiis ac illēcebris valedixit et adhuc adolescens Augustiniani Eremitis nomen dedit. Cum nec genere, nec doctrina polleret, fratribus laicis adnumeratus est. Hūmilis quidem officio, sed virtute excellentes, seniores ac digniores sanctimoniæ laudē acquiravit, cælestibus etiam charismatibus donatus. Caritatis igne incensus tum in Deum, tum in proximum, humilitatis atque obediētiæ exemplo maxime enitēscens, morum innocentia præstans, sic vitæ cursum traduxit, ut incredibili animi lætitia vilioribus officiis vacaret ac moderatorum império sese perfecte subjiceret.

R. Honestum fecit illum Dóminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. **Ÿ.** Justum deduxit Dóminus per vias rectas, et ostēdit illi regnum Dei. **Et.**

Lectio v

Artissima, qua fruebatur, in Deum conjunctio illud effecit, ut, licet assiduus esset in laboribus, nunquam tamen ab illo ani-

mum avēteret. Cujus rei mercēdem amplam nimis, vel in terris Deus ipsi detulit. Olim enim, ut fertur, a sacra communiōne recipiēda impeditus, quia in lignaria cœnobii officina findēdis securi truncis incumbere debēbat, dum mente Jesum, in sacro altari absconditum, meditaretur, per manus Angeli panem vivum et vitalem emensa eucharistica allatum mēruit accipere. Eīdem Friderico, decorem domus Dei summopere diligēti, et quadam die sacram aram impēnsius exornāti, hiemali tempore vernantes ac suaviter olēntes rosæ per angélicas manus oblatae perhibentur. Hæc et alia prodigia patrāsse Deus narratur ad sui dilēcti famulatusanctitatem hominibus manifestandam.

R. Amavit eum Dóminus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. **Ÿ.** Induit eum Dóminus lorīcam fidei, et ornavit eum. **Et.**

Lectio vi

Cúpiens dissólvi et esse cum Christo, voti compos factus fuit; nam virtutibus et méritis plenus ferrenam hanc vitam cum cæ-

lesti beatitate feliciter commutavit anno millésimo trecentésimo vigésimo nono. Ejus cadáver in Ordinis templo honorifice fuit sepultum, et ipsius funeris occasione, multa prodigia operata est divína Omnipotentia. Inde Friderici sanctitatis fama ejusque cultus initium duxit, qui longo sæculorum cursu in dies adactus est, uti etiam hodie fidélium veneratio ac votivæ tabellæ, ad illius sepulcrum Ratisbonæ, nec non ejusdem reliquæ inibi et sparsim in aliis ecclésiis pública devotiōni expōsitæ, testantur. Hunc porro publicum et ecclésiasticum cultum servo Dei ab immemorabili tempore præstitum Pius Papa decimus e Sacræ Rítuum Congregatiōnis consúlto ratum habuit et confirmavit.

R. Iste homo perfecit ómnia, quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus gentibus. **Ÿ.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cælestia regna. **Quia. Glória Patri. Quia.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Nolite timere, de Communi Confessoris non Pontificis 2 loco.

IX Lectio de Homilia Vigilie
S. Andreae Ap., ut in Breviario.
Ad Laudes fit Commemoratio
Vigiliæ ac S. Saturnini Martyris,
ut in Breviario.

Vesperæ de sequenti (S. An-
drea), Commemoratio præce-
dentis:

Ant. Hic vir despiciens
mundum et terræna, tritum-
phans, divitias cælo cón-
didit ore, manu.

V. Justum deduxit Dómi-
nus per vias rectas. **R.** Et
ostendit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beáto Friderí-
co, Confessori tuo, per-
fectiõris vitæ semitam de-
monstráre dignátus es: con-
cede propítius: ut ejus ex-
émplo terréna despiciétes
sola cæléstia appetámus.
Per Dóminum.

Index alphabeticus

Alberti Magni Ep. et Conf. 15 Nov.	pag. 18*
Caroli Borromæi Ep. et Conf. 4 Nov.	11*
Dedicatio propriæ Ecclesiæ. Sabbato ante Domin. III Oct.	8*
— — Octava. Sabbato ante Dom. IV Oct.	8*
De III die infra Octavam Omnium Sanctorum. 3 Nov.	10*
De VI die infra Octavam Omnium Sanctorum. 6 Nov.	14*
Dionysii Ep. et Socior. Rustici et Eleutherii Mm. 9 Oct.	6*
Emmerami Ep. et Mart. 22 Sept.	1*
Florini Presbyteri et Conf. 17 Nov.	21*
Friderici a Ratisbona Conf. 29 Nov.	24*
Sacrarum Reliquiarum, quæ in Ecclesiis Dicecesis asser- vantur. 5 Nov.	11*
Uttonis Abbatis. 3 Oct.	4*
Wolfgangi Ep. et Conf. 31 Oct.	8*
— — Octava. 7 Nov.	14*
— — Translatio. 11 Oct.	6*